



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MCXXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

Recel.  
extraug.  
c. 69.

Beatissima Virgo; MATER DEI *vult esse pro Matre liberis Brigittæ*: ita suos filios hoc die ad illam duxit, & Societatem in eius velut sinu nasci voluit Ignatius, ut illa esset pro Matre filijs Ignatij.

ANNO MCXXXV.

Coram  
B.V. spi-  
ritum re-  
nouare.  
Assumpt.  
B.V.

27 Vota coram Beatiss. Virgine instauranda. Ita fecit, ita docuit suos Ignatius, ut quæ vota anno 1534. 15. Augusti MARIANO in templo ad Martyres nuncuparant, vertente anni curriculo instaurarent; ut quæ primæ voluntatis testis fuit Virgo, eadem auxiliaria esset eiusdem in eiusdem decreti firmitate manentis; atque ambulatoriam, quam dicimus, voluntatem illa firmaret, labantem erigeret, socordem incitaret, situ torpidam excitaret, frigidâ sinu materno foueret, ac pulchrius instauraret; denique à MARIA præsidium expectaret, si quid se offerret pro CHRISTO patiendum. Primas enim cunas in sinu MARIAE CHRISTI Matris, & in monte Martyrum habuit iam tum nascens sub benigno stellæ huius aspectu Societas; iam tunc ad patiendum initiata Virgini Matri à Patre Ignatio & primipilaribus suis. MARIA in hymno Ecclesiæ Græcæ dicitur *autor reformationis intelligibilis*. hæc est instauratio nostra, & renouatio spiritus nostri, ut referuescat.

Nomencl.  
Raynaudi  
pag. 245.

Marianæ  
solitudini  
studere.

28 Per hosce annos quibus Parisijs versatus est S.P. Ignatius, ne relanguesceret illa vis ardentis animi acriore in disciplinas Philosophicas ac Theologicas contentione ingenij hebetata, propè S. MARIAE ad Martyres in cavernæ cuiusdam adyta penetrabat, vel ad S. MARIAE de Campis dicte sacram ædem, solitudinis captandæ gratiâ, sese condebat solitarius: quò istic in suauissimo MARIAE Matris sinu se instaurans accenderet, ac pietatis damna, seu studiorum interualla, pensaret; sique quis languor irrepsisset, redin-

redintegratâ pietate pectus expergefaceret, hausiâ nouâ de illo sinu, animi flagrantia, neruoque virtutis. Adeo Ignatio MARIANA pietas, etiam inter disciplinas literarum cos erat ad virtutem, ac velut interspiratio studiorum. Cherubini sunt pleni scientiâ. Benè ergo Ignatius MARIAM elegit, in qua à studijs quiesceret, seque recrearet, quam S. Epiphanius *thronum Cherubicum* vocat, in cuius sinu est CHRISTVS, qui dicitur *cithara Cherubinorum*. Ibi fesso à studijs animo reperies in throno cherubico quietem, in cherubinorum citharâ dulcissimum laxamentum.

2. orat. de  
laudibus S.  
Mariæ.

29 S. P. Ignatius Aspetiam appulsus feriâ VI. eam noctem humi egit, ne splendidum lectum sibi è Loyolæa domo missum attingeret. Sequenti die, qui Sabbathi dies erat, in humillimæ Dei Matris honorem eximium humilitatis exercitium in patria inchoauit nullo metu respectuum humanorum, seruauitque deinceps, dum illic moratus est, vt domesticatim stipem cogeret in oculis ciuium, quicquid contra consanguinei niterentur. Humilitas est *virtus filiorum B. V.* sicut sabbatum est *dies filiorum B. Virginis*, imò ipsa humilitas est *requies quædam*, & sabbatum animarum, tum quia superbi nunquam sunt quieti, tum quia humiles veram requiem habent, iuxta illud CHRISTI: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: id est, velut sabbatum quietis.*

sabbatum  
humilitate  
colere.

Math. 19.  
29.

ANNO MCXXXVI.

30 Nouembri mense anni 1536. Parisijs Venetias ad Ignatium magnis, & difficillimis per infesta hæreticis loca itineribus pedites contendere Faber, Xauerius, Laynez, & reliqui Societatis nascentis primogeniti. Hi memores coram qua Virgine se Deo, die Assumptæ Deiparæ authorassent,

C

vt-